Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2111
Quelle:
Copyright:

tulare et Orationale per annum pro Chori officio, Preces ad singulas Horas, Litaniae OO. SS. prolixus *Ordo ad uisitandum siue ungendum infirmum oleo sancto*, cum Precibus in exitu Animae. Hic porro hiat *Codex*, atque ex abrupto Lectiones quaedam et Evangelia notulis musicis instructa succedunt, et deinceps Commemorationes variorum Sanctorum, praecipue *Hungariae* Indigetum, quas etiam habes in *Breviario Strigoniensi* mandato *Mathiae* Regis a *Michaele* Ep. *Milkoviensi* in Ecclesia *Strigoniensi* in Pontificalibus Vicario ad imprimendum tradito *circumspecto Theobaldo feger de kirchem librario* a. 1484. f. absque loci mentione, ut in Monito praevio dicitur. *Theobaldum* hunc alias Bibliopolam tantum *Budensem* novimus, unde hanc Editionem alicubi in *Germania*, et fortasse *Norimbergae* curaverit. Etiam huic Editioni Obitus quidam praemissi sunt, et quidem nomen supra adducti *Nicolai de Themeswar* solis literis *DD.* exprimitur; mors vero *Johannis* Archiep. non ad 8. sed ad 9. diem *Augusti* ponitur. Exemplum hujus *Breviarii* Bibliotheca Palat. conditum servat.

DCCCLXXI.

R. 29 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 380. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus, sed injuria temporum inclementer habitus sacrum Chori Officium sive *Breviarium* exhibet, quod rursus ad Ecclesiam Metrop. *Strigoniensem* refero cum ob Divos *Hungariae* indigetes in praevio *Calendario* miniatos, tum ob duplicem notam eidem manu Sec. XV. adjectam. Legitur nempe ad diem 1. Febr. *Obitus Revmi in christo patris et domini, domini dyonisij de zecz Cardinal. legati et Archiep. Strig. Anno domini M° CCCC° LX^mo quinto.* et ad diem 20. *Hic obiit dominus demetrius Cardinalis Strigiensf. Anno do M.CCC° LXXX°. VII^mo.* Id, quod dirimit dubia a *Nic. Schmitth* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 210.* relicta, confirmatque adsertum amicissimi *Prayi Hierarch. Hung. P. I. p. 171.* Sedem *Strigon.* a. 1387. vacasse *Dominica Ramispalmarum.* Ad diem 8. *Aug.* etiam in hoc exemplo notatur *Adventus sanguinis christi*, non tamen minio. Ceterum nihil habet singulare, nisi quod praemissa sit Institutio chronologica de ordinando tempore ecclesiastico, quod in pluribus ejusmodi *Codicibus liturgicis* observatum videmus.

DCCCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3342
XIV. Folior. 351. 8. min. per duas columnas crassiuscule, et densius exaratus, coloribus illustratus usque satis tritus *Breviarium* est ad ritum ordinis S. *Benedicti*, quod nihil peculiare praefert, nisi quod inspectis Festis, et Sanctorum, qui *fol.* 67. p. 2. in Litaniis invocantur, nominibus, *Adalberti*, *Stanislai*, *Viti*, *Wenceslai*, *Sigismundi*,